Subdapiferatus Curiæ Regni 1624. d. 30 Januar. 85.

Subdapiferatus Curiæ Regni Gnõso Joanni Niemsta confertur. 21

Sigismundus III. &c. Significamus &c.: Magni sane à Nobis semper habitam esse hereditariam aviti in Regno hoc Familiæ rum Splendoris, et ornamentorum ad posteritatem transmissionem. Et qui retro acta tempora inspexerit, servata per nos antiqua Domus decora, facile intelliget ea maxime in quorum oriundi felicitas, pari virtutum successione fuit, veris quasi ornamentis instructa. Neq; enim ut ignava et fortuitæ Nobilitati tantum tribuendum censuimus, ut virtuti illam anteponeretam voluerimus. Efficiemus sane eo compendio, et felici quidem successu, ut inventus non contenta Solis majorum suorum imaginibus, in virtutis Studio ita desudaverit ut sive togatam intueare Reñblem Summos consilio prudentiaq; Viros et optimos Patriæ Cives, si armatas spectes Sortes ac Strenuos belli Duces in hoc usq; toto felicius Regiminis Nri tempore Suppeditaverit. Prodijt ex eadem virtutis et omnis integritatis arena Gnõsus Joannes Niemsta Aulicus et Dapifer Noster, ab ipso felicis in Regnum hoc Nrum inaugurationis tempore, huiusq; indefesso benè de Nobis et Reñbla merendi Studio maxime instructus. Is enim simul ac nomen Servitijs Nris dedit, nullam intermisit occasionem qua non promptam, et alacrem Suam Nobis obsequendi voluntatem contestaretur. Interfuit ille Livonicæ, Moschoviticæ, interfuit ille postremæ contra Turcarum Imperatorem per nos felicibus auspicijs Susceptis expeditionibus, In illo vero intestino fataliq; bello, fidus Semper lateri Nro adhæsit comes ubi nec laborum, nec molestiarum, et Sumptuum, ne ipsius quidem vitæ parcus, satis luculenter perspeximus, nihil ipsi ad eximium illud veræ Laudis et gloriæ decus defuisse. Jure itaq; non Solum antiquæ Domus, verum etiam Singularium virtutum ac meritorum in conferendo ipsi Subdapiferatus Curiæ Regni munere rationem habendam duximus, prout quidem id ipsum evectione Gnõsi Joannis de Zurow Danilowicz Capitanei Nostri Rethmen ad Thesaurariatum Curiæ Regni ad dispositionem Nostram devolutum plena voluntate damus, et conferimus præsentibus Literis Nris per eum quo ad vixerit, aut ampliorem dignitatis aliquem vel Officij gradum assecutus non fuerit, cum omnibus prærogativis emolumentis et obventionibus, tenenq; habenq;, et possi-

et possideng. Quod ad omnium quorum interest, præsertim verò Marschalcorum Regni notitiam deducentes mandamus ut præfatum Gnōsum Joannem Niemsta pro vero et legitimo Subdapifero Regni habeant et agnoscant, et de prærogativis omnibus ad hoc idem Officium de jure vel consuetudine Spectans, respondeant, et ab alijs responderi curent. In cujus rei fidem &c. Datum Varsaviæ die XXX. Mensis Januarij. Anno Dñi MDCXXVIII. Regnorum Nrōrum Poloniæ XXXV. Sveciæ XXXIII.

Sigismundus Rex.

Petrus Rozmiński S. R. Mtis.

Ex actis metricis Regni anno 1620. in Libro 143. sub Literis T. K. nº. 144. folio. 190.